ita ut debellasse planè totum Lyncæorum ordinem strenue certatione videbat.

Mansit solus in urbe post Illuminati discessum Celiagus planè
mestus quod omnipenitus careret sociis nec fidum usquam haberet famulum, quæ
res causa fuit ut apta aulicorum cœtus ad privatos usquequaque se contraxerit
studiis solitariis ac heremitico modo, quod alibus satis esse valere aulici primo mira-
ti inde contemptu deriserunt, nec cessabat interim cum aliis fraudibus quoti-
die divexare et præsertim Lyncæorum contemptum ac aspernationem quære-
re, At dux negotium illud acerbiori via intendebat, absente enim nup. Illumi-
nato Vicarium urbis adiit atque monuit aufugisse præter eius notitiam
monarum ab urbe timore ne ~~[illegible]~~ caperetur, eamque sententiam
ut testimonio aliquo roboraret eam epistolam quam Illuminatus ex
Celiagi antea cubiculo scripserat ad eum qua Lauretanum iter fingebat
ostendit, quæ res prorsus vera videbatur et recte Illuminatum damnandum
esse censuerunt eamque ob causam acriori cum modo inquisitio prosecutus est.
In urbe vero ante discessum eum capere non poterat quoniam Dux prohibuerat ipsi
ne exiret domo nisi in patriam reditus die, immo una via exitu tentans à satellitibus
detentus est nec abire potuit. Hoc modo gradè prestiterunt ne Illumi-
natus in Italiam reverteretur, aut si hoc auderet in carcerem quam
primum protruderetur. Cæteri quoque Lyncæi terrorem incutere voluerunt
nam scriptæ sunt litteræ tardigrado à consanguineis Celiagi ut penitus
caveret in posterum eius amicitiam et tractare cum illo ni sibi exiti-
um deposceret, Deterius Interamnium ad Eclipsatum proscriptum fuit et
ut vel abstineret imperatum vel familiæ una et sui subversionem ex-
pectaret, Adeo ut Lyncæorum nullus esset qui terrore suo non con-
cuteretur ab his quibus tanta audendi licentia. Illuminatus igitur
Auspicato itinere valedictis per literas fratribus, incepit in via naturalium spe-
culationi rerum operam dare et quas inveniebat stirpes quæ vel occur-
rebant animalia et insectilia notare et eorum differentias si quid
notandum esset chartis committere. Studium quippe negligere haud voluit
inter satellitum et nebulonum comitatus, florentino itinere recto
à Roma per Senas iuit ibi viros doctos primo omnium salutavit, Politianum
insignem à civitate Cequum qui publice in iis prudentiam profitebatur
ibique aliosque nonnullos et naturalia simul scitatim sueis describere libris
florentiam concessit Ducis ibi lecturæ insignem observavit bibliothecam et eius
[illegible] inuisit. Vidit venationem omnium simul ferarum in magno thea-
tro, leonumque videlicet, lupos, ursos pardorum et similium cum rei lite-
ras ad Celiagum dedit sed nullas ille unquam accepit, verum à pare-
te summa diligentia retentæ et asservatæ, Quæ et res vehementissime
turbavit Celiagum ac animum ita commovit ut separare se aliquantis-
per ab urbe statuerit, hoc igitur ab Episcopo petiisset decessum ipsi fuit
post iteratas easdem sollicitationes, Ac Neapolitano se cepit accingere